



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **OTUKPOËNA*** IN NIGERIA NOVA CONDITUR
OTUKPOËNA DIOECESIS Gravissimis in muneri Nostri officiis cotidie vigilanter implendis ea quoque consilia inceptaque potissimum curamus perseguenda quibus non tantum in universum populi Dei saluti aeternae quam efficacissime consulatur sed nominatim in missionum sacrarum regionibus totum evangelizationis opus quam sapientissime prosperetur. Cum igitur ab hac postulatum sit Sede Apostolica ut in Nigeria dioecesis ipsa Makurdensis divideretur, unde nova ecclesialis communitas excitaretur ad commodiorem totius Catholici populi inibi degentis gubernationem, oblatis nihil quidem dubitamus obsequi sic precibus singulaque haec sequentia fieri graviter iubere, apostolicae potestatis Nostrae usi nimirum plenitudine. Per has videlicet litteras loca seu oppida et fines civiles, quibus sunt nomina Otukpo, Ado, Apa, Ogbadibo, Oju et Okpokwu, a superius commemorata dioecesi seiungimus ex quibus novam condimus ecclesiasticam circumscriptionem nomine indito *Tukpoënae* dioecesis quam suffraganeam simul constituimus metropolitanae ecclesiae Abugensi. Episcopalem dein huius dicionis sedem in civitate vulgo Otukpo collocamus ubi aedem sacram Deo ad honorem Sancti Francisci dicatam ad gradum evehimus dignitatemque templi cathedralis, additis iuribus cunctis et privilegiis quae id genus congruunt ad sacros canones aedificiis. Quo autem religiosius haec omnia optatum perducantur ad effectum destinamus Pro-Nuntium ipsum apud Nigerianam nationem, Venerabilem Fratrem Carolum Mariam Viganò, Archiepiscopum titulo Ulpianensem, vel quem ex more legeque is delegaverit, necessariis factis iam facultatibus. Re vero peracta documentorum singulorum certa veraque exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione rite transmittantur. Quandoquidem novam hanc dioecesium in Nigeria ordinationem plurimum confidimus Ecclesiae Catholicae commoditati et Evangelii propagationi profuturam, has ideo Litteras omnem vim suam tam nunc exserere volumus quam in posteros usque annos, contrariis quibusvis causis aut casibus haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae apud S. Petrum die decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri decimo septimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 12, pp. 1083-1084 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana
